

6/314/P
TENTAMEN MEDICUM

INAUGURAL E,

D E

Febre Flava Indiae Occidentalis :

Q U O D,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

S A M U E L C U R T I N

JAMAICENSIS,

S. P. C. S. H.

Phoebe fave,

Novus ingreditur tua templa Sacerdos. TIBULLUS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXXVIII.



VIRO ORNATISSIMO

J A C O B O D Y E R

J A M A I C E N S I,

A R M I G E R O;

E T

A M I C I T I A E,

S A C R U M.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30385210>

T E N T A M E N M E D I C U M

I N A U G U R A L E,

D E

Febre Flava Indiae Occidentalis.

Q UONIAM illustris hujus academiæ leges, a summi medicinae honoris petitöribus, aliquid ingenii simul et doctrinae exemplum prius exigunt, quam honor ille conferatur ; ideo, quo minus proposito merentibus praemio indignus viderer, et sapienti instituto morem ut gererem, de Febre flava Indiae Occidentalis, quae in solo natali meo, ubi etiam artem medicam exerciturus sum, dira strage graffatur, aliqua dicenda, et importuni mali naturam pro virili parte indagandam, existimavi.

A

Quo

2. DE FEBRE FLAVA

Quo in opere, si non semper opiniones vulgo receptas fecutus sum, si a praeclaris in arte viris quandoque etiam dissensi, ejus libertatis veri amori, et, si errasse visus fuero, adolescentiae argumentique, nondum usu explorati, lubricitati, veniam dandam spero.

Dénique, ut non omnia ab omnibus, qui hunc morbum tractavere, recipienda putavi ; ita, quicquid apud quemque solidum magis et rationale visum est, id amplecti non sum deditus.

Quod ita dico, ut tam in hoc, quam in aliis de eadem re operibus, multa recidenda, multa addenda, et forsan totam disceptionem incidi reddendam, fatear.

MORBI HISTORIA.

Febris maligna flava ab rigore et sensu frigoris leviore, potissimum post nimiam sub sole meridiano moram, ut plurimum praeludit. Vertigo simul urget, caputque dolore gravativo super oculos, leviuscula pariter nausea et appetitu prostrato comitante,

la-

laborat. Calor vehemens, urens, et tangentis digito admodum ingratus, rigorem brevi excipit; pulsus interim plenus, velox, altus, simulque mollis deprehenditur; arteriae carotides vibrant, dum dolor capitis, tempora quasi percutiens, intenditur. Vultus subtumidus rubescit; oculi, lucem refugientes, sanguine suffunduntur, et cum sensu ardoris dolent; multusque interea dolor in juncturis haeret, lumbosque pervadit. Crescit nausea, vomitus ciens, qui per totum morbi tenorem eo usque infestare perstat, ut ventriculus quodlibet assumptum pertinaciter respuat.

Materies, per ista conamina rejecta, varia admodum conspicitur; nunc ingestantum potulenta, nunc bilis ipsa sincera, sive flava, sive viridecens et acris, sursum rapiuntur. Angustia circum praecordia, et anxietas molestissima, vomitum comitantur; hypochondria item plus minusve ut plurimum tumida evadunt, et aeger surgens, vertiginosus, jactabundus admodum, agrypnia pertinaci haud raro tentatur; vel, si levior somnolentia urget, insomniis quasi territus exagitatur. Sitis adest intensa, et

cris

oris amaror vexat. Lingua inter initia morbi alias nitida, alias albida, nunc illita, rarius sordida, flavescentia apparent. Alvis plerisque compressa est; at diarrhoea paucos exercet: Urina rubescit, et minus quam ex consuetudine exit. Cutis fere arescit, atque interdum ad superiora rorida.

Hoc modo febris accenditur; die attamen secundo, nempe 36 vel 48 circiter horas post morbi ingressum, mane ut plurimum, mitiora symptomata remissionis imaginem quasi praefe ferunt. Pulsus enimvero lentior, sed languidus; dolor capitis non aequem molestus; nausea et vomitus tamen neutiquam cessant; cutis naturaliter fere temperata evadit; adeo morbum esse superatum nonnunquam credunt aegroti, immo et adstantes amici. Verum his induciis non habenda est fides; post meridiem enim symptomata auctis viribus redeunt; vomitus quam antea atrocior assurgit, atque guttas sanguinis inter vomendum stillant nares; fit inexplebilis; atque lingua super medio scabra, fusca, ad inferiora et latera una cum labiis vividissime rubescit; versus morbi finem haud raro nigricans conspicitur.

tur. Symptomata, appropinquante vespere, plerumque exacerbantur, et nox aegerrime transigitur; alias frequens in somnum inclinatio subrepit, alias vigiliae perturbantur, in utroque summa irrequies. Ecce stadium inflammatorium!

Sudor viscidus tertio die, nunc citius nunc serius obortus, minimeque reficiens, pulsus languidus, mollis, parumque citatus, cutisque egelida, speciem quandam levamenti iterum exhibent; sed nihil minus; namque vires, prius infirmatae, nunc magis ac magis elanguescunt; anxietas non minus molesta perstat; spiratio rarius perficitur, et alta trahuntur suspiria. Anima ex causa fere levissima interdum deficit, maxime dum aeger se in lecto erigere nititur, premente intrea syncope. Flavedine vice rubedinis facies et collum imbuuntur, quae resurgentibrevi decessit. Somnolentia magis urget. Decumbentes non raro leviter desipiunt, rursumque mentis satis compotes evadunt. Oculorum rubor, in fuscum sensim mutatus, ad flavum tandem accedit, quo tota corporis superficies brevi posthac imbuitur. Nifus ad vomitum die quarto non aequem

6 DE FEBRE FLAVA

molestus ; bilis veruntamen putrida, atro sanguine commista, ore rejecta, prorumpit, dum uterque deorsum sine torminibus precipitatur. Sanguis nunquam cohaerens, nunc e naribus distillat, nunc per gingivas percolatūr. Pulsus exilis, vacillans, intermittens evadit. Hypochondria aestuant et tument. Singultus incessanter fere urget. Manus et pedes frigescunt, tument simul, purpureoque foedantur colore. Labia arida et sordibus obsessa livecunt. Foetet anima. Livida lingua tremescit, et oculi pulverulentí apparent. Urina quam maxime flavef- cens turbida demittitur, ex qua quod deci- dit, fere vel ex toto, nigrescit.

Ecce nunc coma altum ! dum febricitans, interdum apoplecticorum aemulus, nunc stertit, nunc absque molestia spiritum du- cit. In aliis vero coma levius adest, cum deliriis interruptum. Sub hac rerum facie manet nonnunquam vita per horas 36 et ultra, dum vix ad carpum micat arteria, et exanimis fere jacet moribundus. Exanthe- mata interea livida et lata, circa praecor- dia et lumbos sparsim disseminantur. Mus- culi labiorum et manus tremiscunt et subsi- liunt,

liunt, et laborans sensim vehementius convulsione universa corripitur, et vitam pro morte commutat *.

DISTINCTIO NOSOLOGICA.

Ne quis arrogantiae aut novitatis desiderii, propterea quod a Sauvagesio nostroque celeberrimo Culleno, in ipso opusculi limite exigua in re dissentire audeo, me temere incuset, obsecro. Morbum, de quo nunc differere aggredior, uterque in systemate suo nosologico inter Typhi species retulerunt. Nec ego inficias eo, quin funditus et intima sua natura haec febris Typhus sit; propterea quod signa purae debilitatis cito adparent, nec eo ipso tempore, quo contraria cernuntur, ex toto abesse videntur. Cujusmodi nausea, vomitus, anxietas, et linguae flavedo, quae intra primas 36 horas, primumve biduum, quod inflammatorium tempus dicitur, adparent, manifeste esse videntur. Quin et caetera hujus temporis symptomata, quae inflammatoriae naturae adeo esse videantur, non tam hujus sunt indolis,

* Mackitric. Dissert. Med. Inaug. Edinb. edit.

dolis, quam partim a spasmo, humorum intus in vasis copiam augente, partim a regionis novae calore, partim a diathesi phlogistica nondum soluta, exoriuntur, et cum modo relatis et mox referendis collata, prævalere noxam sedantem, et ab ea totum genus nervosum funditus adfici, declarant. Verum, cum haec auctae actionis symptomata indole sua ab alteris differant, et per se ad diversum exitum tendant, quatenus vires corporis in collapsum ruere sinunt, et inflammatorii adfectus, quantumvis leves et modici, tamen remedium sibi in curatione vindicant ; ideo hactenus, quatenus diathesis phlogistica et inflammatoria natura subest, a puriore typho et his auctae actionis symptomatis non permixto, febris flava differre existimanda est ; et, si recte synochus, ob similem causam, febris quoque flava pro diversa specie certe habenda est : Eoque magis quod, ingenio suo et actione propriae causae remotae, a communi typho differat. Quippe enim typhi causa omnibus regionibus, frigidis pariter et calidis, communis, hujus morbi Indiae Occidentali,

aut

aut forsitan Orientali, aut locis simili ardore gaudentibus, propria est.

Quam opinionem meam, praeter historiam relatam, Ruppe, insignis Belgiae medicus, cui optima hujus morbi historia accepta referenda est, revera confirmare videur. Is, recitatis aliis morbis, quibus Europaei, primo suo in calidas regiones adventu, opportuni sunt, haec proinde addit : “ Alios assueto modo incessit biliosa febris, et, quantum videre potui, hi maxime fuerunt juvenes, vel mediae aetatis, robusti, et ante morbum alacres, cum ardore nempe circa praecordia, bilis vomitu, vel vomendi conatu, et siti fere inextinguibili ; quidam horum in principio levibus frigoris et caloris vicissitudinibus afficiebantur ; dein subsequebatur urens in toto corpore calor, cum pulsu magno, pleno, et celeri *.”

Febris igitur flavae, ut aliquam ejus definitionem adgrediar, propria haec symptoma sunt.

Horror, huic mox succedens calor urens, carotidum dolor pulsans, vultus et oculo-

B rum

* Ruppe de morbis navigantium, pag. 305.

ro D E F E B R E F L A V A

rum rubedo, vomitus, linguae flavedo; dein major debilitas, ubique fractum robur, ubique flavedo, bilisque et alia materia supra et infra rejecta; postremo pulsus, qui initio plenus, velox, et mollis fuerat, postea languens, lentior et exilis, excretiones flavae, et liventia exanthemata.

S E M I N I U M.

Ex historia, homines in certis regionibus degentes, solummodo hunc morbum affligerere videre est; et ibi maxime inter alienos, rarissime inter incolas, gravatur. “Incolas, vel climati assuetos, nunquam afflitit; neque quidem huc novissime adpulsos, nisi temperies sanguinea et sanitas summa seminaria praebuerunt: Et ex repetita experientia, hoc axioma mihi ipsi statueram, usque adeo ut peregrinos, de hoc eventu miserrime anxious, spe morbum omnino effugiendi erigere potuerim, dummodo talis iis fuisset habitus a sanitatis apice secedens, vel morbis praegressis infirmatus *.”

Quod

* Vide Thesin de febre flava Indiae Occidentalis, auctore Mackittricio, Edinburgi editum, pag. 13.

Quod ad causam attinet, temperamentum sanguineum et diathesin phlogisticam, quae apud incolas septentrionalium regionum plerumque valent, huic morbo fundamentum praebere, non verisimile solum, sed et certum, videtur. Nam, ubi primum nautae et peregrini, ex frigidis regionibus venientes, sanguine divites, terram tetigerunt, aestus, qui in insulis Indiae Occidentalibus perpetuo fervet, fluida rarefacit, expanditque, sic ut plethoram ad volumen inferat, solida stimulet, et ita febri inflammatoriae ansam prebeat. “Est et plenitudo ad volumen apprens quoque et spuria dicta, quae, aucto rafacti sanguinis volumine, molem veluti auctam mentitur; quanquam hujus nulla est exsuperantia. Quum enim capacitas canarium haud eodem gradu una dilatetur, expansus humor, quo ante modice repleti fuerant, majus spatium affectando, haud aliter, quam vera plethora, turgeficit. Ingens calor, ab aëre, foco, balneo, cibis, potibus, medicamentis, venenis, animi pathemate, frictione, in corpore concitatus, magna et subita pressionis atmosphaerae imminutio, motus intestini humorum ob aliena intermissa

missa singulares, huic vitio ansam dare solent. Certius autem nascitur, sicuti et irritabilitas accesserit, aut seminium dederit sanguinis dyctrafia ad rarescendum pronior, aut liquatae pinguedinis, quam calor valde expandit, copia in massam circulantem recepta *.”

Sic orta diathesis phlogistica corpus huic morbo opportunum reddit, et praecipuam potestatem nocentem, nempe contagionem propriam, quae alias typhi causae simillima est, sic effectu flectit, ut, saltem initio, a typho febris differat.

POTESTATES NOCENTES.

Praecipua haec potestas nocens, atque etiam necessaria, quippe sine qua non exoriatur morbus, est noxa sedans, Indiae Occidentali, Orientali, et similibus locis, si qui alii sunt, propria. Ea per contagionem, an alio modo agat, nondum inter hujus morbi observatores convenisse videtur. Sed, quo cunque

* Gaubii Pathologia, § 390.

cunque modo agat, aliae res sunt, quae partim seminii effectum flectunt, partim potestatis nocentis vim intendunt; ideo Potestates Excitantes adpellandae.

Eae sunt coeli praecipue ex frigido ad fervidum mutatio,

Intemperantia,

Corpus, nocturnis roribus, ibi, ubi morbus occurrit, expositum, quibus vasa perspirabilia subito contrahuntur et occluduntur.

CAUSA PROXIMA.

De causa febrium proxima, jam dudum inter medicos certatum est, variaeque de hac opiniones utrinque allatae sunt; inter quas dogmata illustrissimorum Boerhaavii et Culleni maxime nostram attentionem merentur. Ille acrimoniae et fluidorum visciditati, hic autem solidorum atoniae et spasmo, causam attribuunt.

Pulsus celeritatem, vel auctam cordis va-
forumque actionem, symptoma febrium om-
nigenarum pathognomicum esse, maxima
pars

pars medicorum crediderunt. Sed quid in febribus pulsus celeritati vel vasorum auctae actioni causam praebet?

Febris, a stimulis cordi applicatis, originem trahere, plerisque placuit. Verum illorum opinio, ut mihi videtur, et rationi et observationi prorsus contraria observatur. Nam stimuli absque ullo incommodo frequentissime nostro systemati applicantur; per calorem enim, ambulationem, vinum, et similia, circulatio sanguinis et pulsus celeritas augentur, cum tamen febris omnino abeat. Porro, aestum et pulsus rapiditatem, in febribus, semper horror et frigus praecedunt; et nemo adhuc explicavit, quo pacto stimuli directe stadium frigidum inducere queant.

Boerhaavius, et omnes qui ejus vestigiis institerunt, proximam febrium causam liquidi arteriosi viscositati attribuerunt; et ejus rei crustam albam, quae sanguinem, hominibus morbis inflammatoriis laborantibus emissum, tegit, argumentum esse contendunt.

Sed cum, ex quo clarissimus ille medicinae cultor mortem obiit, multi, qui in experimentis

perimentis observationibusque faciendis vitam impenderant, claruere, errores quosdam, quos humana parum cavit natura, ab illo admissos, his praeclaris viris emendatos esse, aequum erit credere. Sed Boerhaavii errores, maculis quibusdam, quas in clarissimo Solis orbe, totum qui illuminat mundum, existere astronomici comperiunt, merito comparari possunt.

Dominus Hewson, qui de re medica bene meritus est, variis experimentis de sanguine institutis, hanc visciditatem nunquam in febribus occurrere, et crustam coriaceam, quae Boerhaavium in errorem duxit, minime a visciditate, sed vi cohaesione diminuta, oriens demonstravit; unde, et ob alias quoque causas, opinio Boerhaaviana melioribus cedat necesse est.

Noster illustrissimus Cullenus hic palmam omnibus praeripuit. Ille, argumentis validissimis, causam febrium proximam ex atonia et vasorum extremonrum spasmo pendere, patefecit et illustravit.

Cum autem multi bilem causam esse proximam hujus febris putaverint, et quia hoc placitum multis hypothesibus locum
prae-

praebuerit, id nunc notatu dignum videtur.

Medici, tam antiqui quam recentiores, ad unum consentiunt, fervidas regiones et tempestates aliquo modo bilis secretionem afficere, et has tempestates ad cholera morbum inducendam maxime valere. Sydenhamus, omnium seculorum medicus sagacissimus, cholera spontaneam, in illa Angliae parte qua vitam degerat, mense Augusto solummodo fere oriri afferuit *. In Minorca Insula peritissimus Cleghorn, cholera morbum in fervidis tempestatibus semper graffari, et citius vel tardius, secundum aestus gradum, incipere, observavit, quamvis in universum ex Idibus Julii ad Septembris graffatur †.

Sic res sese habere videtur ; sed quomodo accidat, haud facile appareat : An bilis aucta secretione vel acriunonia fieri credendum est ? Utramque cauſam ad morbum excitandum plerumque aliquid conferre verisimile est.

Sed

* Sydenhamus, de cholera morbo. Van Swieten, Com. in Aph. Boerh. § 586.

† Cleghorn's diseases of Minorca.

Sed, quoniam cholera frequenter oriri, absque febre praecedente vel sequente, certum est, ideo bilis mutationes minime febrem movere existimandae sunt. Tamen non inficias ibo, cum talis conditio bilis subest, et corpus causis febrium occasionalibus eodem tempore objicitur, quin febris cum largis bilis evacuationibus accidere possit. At haec evacuatio effectus, non causa, febris est. Inter febrium initia, debilitas totius systematis et vasorum superficie constrictio adsunt; hinc sanguis ad superficiem non impellitur, sed prope venam portarum accumulatur, quia in his vasis circuitus languidus et impeditus fit. Sic eorum qui lautis dapibus vescuntur, et parvo exercitio utuntur, hepar et lienem ad magnam molem augeri observatum est *. Et si sanguis in venae portarum regione ita accumulatur, necesse est, ut bilis majore copia secernatur. Quae igitur aquæ secretio solummodo effectus febris est. Vomitus etiam, qui febres paene omnigenas comitatur, ad bilis excretionem multum confert, ductus biliarios emulgit, cursum bi-

C lis

* Cullen. Prima Lineæ, et Praelectiones Practicae.

lis in ventriculum convertit, et sic speciem
auctae secretionis prae se fert, quum revera
nihil ejusmodi accidat. Licet igitur ex his
hanc intolitam bilis evacuationem nihil ad
febres inferendas conducere pateat, nihilo
tamen minus talis opinio apud auctores, tam
antiquos quam recentiores, praevaluit, et fe-
bris biliosa etiam hodie in omnium ore est.
Celeberrimus Pringle, quamvis causa proxi-
ma eum omnino latet, tamen bilem effec-
tum, non causam, esse asseruit. “ It were
to be wished we could explain the causa
proxima, or immediate cause, that is, could
show how these vitiated humours act upon
the vital principle, so as to excite a fever of
a remitting or intermitting form, accompa-
nied with such symptoms as were mention-
ed before. But, in these researches, as so
much depends upon the action of parts,
which have laws peculiar to themselves,
and are imperfectly known, it seems better
not to form an hypothesis at present, but
wait till farther discoveries be made in the
animal oeconomy. These fevers have been
called putrid, and not without foundation ;
since, from what we have observed, there seems

to

to be such a disposition of the humours to putrefaction. They have still more antiently been distinguished by the name of biliary, but with a more disputable propriety, as the first authors did not confine that term to the appearance only, but extended it likewise to the cause of the disease. But, after all, the bile seems to be more the effect than the cause; for, whenever these fevers come to fair intermissions, they give way to the bark, a medicine which, so far as we know, has no direct influence upon that humour. All, therefore, that can be said in favour of the antient doctrine is, that, though the bile be not the first cause, yet, from its redundancy and depravation, owing perhaps to the fever, it frequently becomes a secondary cause of irritation, and supports the disease *.” Et sic etiam sentire videtur Illusterrimus Senac, “ Si febris intermittentis causa sit bilis, vim quandam peculiarem, eamque insolitam, sibi ipsa adsciscat necesse est;

* Pringle’s diseases of the army, page 186.

est; nam exundat saepisse ana et cata absque ullo febris insultu; nec vero in eam magis proni sunt, qui ictero laborant, atque tamen tunc, si uspiam, debet esse noxia *.”

DIAGNOSS.

Symptomatibus hujusce morbi in animo sedulo perpensis, cum Sauvagesio vel Culleno, in charaktere tradendo, consentire noui. Qui viri illustrissimi eum ad genus Typhi referendum esse putaverunt. Ille, in suo opere egregio, Febrem Icterodem, hic autem Febrem flavam Indiae Occidentalis, nuncupavit; sed, ut supra dictum est, ad genus Synochi, ni omnia me fallunt, referenda est. Jam oportet notas enarrare quibus a typho dignoscatur; sed de his fuse diximus in definitione tractanda; itaque nunc solummodo restat, ut de symptomatibus pathognomonicis mentionem faciamus, quae typum specificum designant.

Multae

* Senac. de Febribus, lib. i. cap. 5.

Multæ Typhi et Synochi species, in ultimis suis stadiis, putredinis signa communiter præ se ferunt; sed huic morbo unum symptoma pathognomicum est, quo a caeteris liquido discernitur, nempe totius corporis superficie flavedo, quæ evidentissime cito in tunicis oculorum adnatis appareat. Licet hoc symptoma, hanc febrem ab omnibus aliis distingueat, tamen, qui ejus natum non animadvertis, ab hac ipsa flavedine aegrum ictero laborare conjiciunt. Sed dissimilitudo icterum inter et febrem flavam, omnibus in re medica satis versatis clarissime apparebit. Icterus, dummodo nullus adsit aliis morbus, nunquam febris symptomatibus stipatus occurrit; cum, e contrario, in febre flava, omnia febris signa eoque pessimi ominis, sese manifestent. Haecce porro febris, in certis fervidis regionibus, tantummodo graffatur, et solum albos affigit. Nigri, quamvis multum inter aegros versati, nunquam confluantur, quæ rarissime in incolas ipsos saevit, etiam ubi maxime strages edit. Haec hactenus. Nunc ad prognosin progrediendum est.

P R O G-

P R O G N O S I S.

Quo magis capitis dolor acutus et constans est, quo magis intolerantia lucis urget, quo citius morbus primam periodum absolvit, eo periculosior evadit. Si color luteus mature apparet in secundo stadio, cum pulsu debili ; si vires deficiunt ; si vomitus materiae nigrae incidit ; si urina in primis diebus sedimentum copiosum deponit ; aeger in summo periculo versatur. Lividae maculae, genarum rubor, dejectiones frequentes, putridae et nigri coloris, urina sanguinea vel ejus suppressio, mortem indicant. E contrario, si, sub primum febris insultum, dolores neque vehementes neque acuti sunt ; si prima periodus extra tertium vel quartum diem protrahitur, ac neque pulsus neque virium prostratio valde premunt, et flavedo oculorum neque intensa neque cito apparet, spes salutis haud deest. Modica narium haemorrhagia, mensium fluxus, cum symptomatum levamen sequitur, boni sunt omnis.

S Y M P-

SYMPTOMATUM QUORUNDAM EX-
PLICATIO.

Superficiei corporis color luteus. Medici, qui phaenomena hujus morbi graphice depinxerunt, in universum flavedinem cutis ad bilis reabsorptionem retulerunt. Analogia, ex simili colore in iæterō occurrente, et copiosa bilis excretionē, petita, huic opinioni fidem fecit. Quamvis arrogans videri possum, cui fortuna hunc morbum videndi nunquam copiam praebuit, si ab auctoribus magni aestimatis, summa medica scientia notitiaque praeditis, et in hoc morbo maxime versatis, dissentire audeam. Tamen quaecunque fides eorum auctoritati habenda est, ad credendum adducor, argumenta in aspectum lucemque proferri posse, quae omnino huic placito contradicunt.

Primo, objectiones quasdam proponam, quae contra hanc doctrinam, bilis flavedini faventem, urgeri possunt. Postea argumen-
ta proferram, quibus ut mihi videtur, hoc phaenomenon rite elucidari potest.

Fatendum

Fatendum est, hunc luteum colorem similem esse ei qui in ictero appetet; praeterea, ut in ictero, sic in hac febre, oculi maxime flavedine decolorantur; in utroque etiam morbo cutis urinaque flavae redduntur. Quae cum ita sint, tamen icteri causam semper firme indigitare possumus, obices nempe, qui transitum bilis ex vesica fellea in duodenum impediunt. Jecur in ictero saepissime durum tumefactumque occurrit; alias dolor pungens et acutus regioni ductus communis cholidochi adeat, qui verisimiliter vel ex spasmis, vel ex calculis biliaris, hunc ductum obstruentibus, oritur; alias calculi sursum et deorsum ejiciuntur, et sic plerumque penitus morbo finis imponitur. Foeces alvinae albescunt, et unumquodque symptomata ductum obstructionem et bilis defectum in tubo intestinali indicat, ex qua obstructione reabsorptio bilis solum oriri potest. Contra, in hoc morbo nulla obstructionis signa apparent; nam ductus, felleam vesicam inter et duodenum, sic ab obstructione liberi evadunt, ut bilis copia inusitata in duodenum fluat. Immo saepissime tam abundanter supra et infra ejicitur, ut cholerae morbi naturam

naturam induat. Difficile ergo dictu est, quomodo absorberi possit, nisi transitus ejus in intestina quadam obstruktione impediatur. Hinc bilem minime causam colori luteo praebere concludere licet *. Atenim bilēm in systema per vasa lactea intrare posse dices. Si res sic fese haberet, eundem colorem, in cholera morbo, dysenteria contagiosa, et quibusdam intermittentium speciebus, quibus bilis maxime abundat, semper oriri oporteret. Quod rarissime tamen occurrit. Hoc argumento est, bilem nunquam tanta copia vasis lacteis absorberi posse, quanta sufficiat ad flavedinem cutis inducendam. Unde igitur, ex aliqua alia causa, hoc phaenomenon originem deducere, de cuius natura nunc dicendum est, apparèt.

Vasa sanguifera partim coeli calore, partim morbido fluidorum statu, relaxantur et debilitantur. Hinc sanguis et caetera fluida

D putre-

* Johannes Pringelius Eques, de febre biliosa agens, haec verba habet: "That some of the men grew yellow, as in the jaundice; but, upon dissection, neither calculi, nor any kind of obstruction in the gall-bladder, or biliary ducts, could be discovered." Pringle's Diseases of the Army, page 172.

putredine tenuiora redduntur. Quo fit, ut propriis vasis non contineri possint, sed in telam cellulosa protinus sub cute diffundantur. Crassamentum et serum in putridum liquorem dissoluta, in minima peripheriae vasa, quorum proprius liquor lympha est pellucida, ruunt. “ Morbus ille periculosisimus, quem, ob sanguinem in flavum ichorem dissolutum, Angli Flavam Febrem, Galli Mal de Siam, vocant, haemorrhagias per aures, nares, oculosque, aliasque corporis partes, ciet, funesta equidem fere even-
tu*.” Et iterum, “ Sed etiam in cellulosa telas effusus sanguis, quoties resolvitur, et pene nigro rubore in flavedinem transit, ut omnino a sanguine flavedo non aliena est, et si sani adultique hominis aut animalis sanguis etiam in aqua dilutus nullum flavoris vestigium ostendit †.” Celeberrimus etiam Pringle, serum nostri sanguinis, crux pauxillo addito, putrefactione in luteum
livi-

* Halleri opera magna, lib. 1. sect. 2. de Arteriis, pag. 101.

† Ib. lib. 5. de Sanguine, pag. 14.

lividumque colorem mutari, demonstravit *. Hinc luteum colorem in febre flava ex hac causa sola pendere, liquido patet. Phaenomenon, quod contusionem ullius corporis partis sequitur, vel viperæ morsus, nec non vultus scorbuto laborantium flavescentes, huic opinioni maxime fidem faciunt.

Post viperæ morsum pars affecta cito flavescit, quod ex bile esse, nemo sanus viri illustris Mead opinioni assentietur. Nam, et si concedatur, aliquo ex partium consensu, post viperæ morsum ductus biliarios spasmo teneri; nulla tamen argumenta, ab hac obstructione, totum corpus intra unius horae spatium flavedine corripi, quod ille vir parum recte contendit, probant. Nam rationi prorsus incongruum est, tam brevi spatio tantam bilis copiam absorberi, quae tali modo totum corpus flavedine adficiat.

Sed nonnulli, nostros humores nunquam in vivo corpore in putredinem ruere, asseruerunt: Quod utique dictum experientia illusterrissimorum medicorum refutavit, et, inter varia exempla, peritissimus Huxham unum me-

* Pringle's appendix to the diseases of the army,
Ex. 45.

memoriae prodidit *. Porro, ab experimentis de humana bile a medico M'Lurg institutis, compertum habemus, materiem tingentem hujus fluidi ex phlogisto pendere, quod a septica fermentatione evolvitur †. Et neminem latet, cui hic morbus paulo notior sit, flavedinem cutis nunquam sese ostendere, donec sanguis et caeteri humores dissolutione et insigni putrefactione inquinati sint. Eoque similem materiem tингentem in sanguine generari posse, conjectura verisimilē est.

Aliud etiam symptoma, de quo nunc dicendum est, et cui ab auctoribus nomen *vomitus niger* imponitur, restat.

De hoc phaenomeno perdifficile est aliquid pro certo asserere. Dominus Lining sic ratiocinatur : ‘ That which is called the black vomit, at first sight, appears to be black ; but, on a more careful examination, I observed, that this colour proceeded from a great quantity of small fleaky black substances,

* Huxham on Fevers. A nimio corporis motu, aëris calore, et morbis malignis, sanguis solvi potest. Haller. Prim. Lin. § 139.

† M'Lurg on the Human Bile.

stances, which floated in the liquor thrown up by vomit ; but the colour of this liquor was much the same with that which the patient had last drunk, and was by no means black. Those black fleaky substances are the bile mixed with, or adhering to, the mucus which lined the stomach. For, upon dissection of those who died of the disease, not only in this, but former years, I always observed that the mucus of the stomach was abraded, and the bile, in its cystis, was black, and sometimes very viscid. In a lad, who died of this disease in the beginning of the fourth day, and who was immediately opened, the bile was not only black, but had the consistence of thick turpentine, and was exceedingly tough. On the inside of the stomach, there were several carbuncles or gangrenous specks. And, in all those I have dissected, who have died of this disease, I have not only always observed the same, but, likewise, that the blood was very fluid, and the vessels of the viscera much distended ; from whence I have been inclined to think, when the disease was not conquered in its first stadium,

that,

that, about the time of the termination of the fever, there was a metastasis of the morbid matter to the viscera *."

Hanc ego in sententiam haud pedibus ire possum. Si bilis huic symptomati ansam praeberet, totam materiem ex stomacho rejectam, luteo colore tintam esse necesse est. Nam bilis natura non obstat quo minus aquae adunetur. Unde fortasse non abs re erit conjicere, sanguinem coagulatum, et quodammodo putridum, huic materiae nigrae ansam praebere. Laxitas vasorum, sanguis in cellulofam telam effusus, haemorrhagiae ex naribus et diversis corporis partibus, sanguinem in ventriculum etiam effundi posse, argumento sunt.

METHODUS MEDENDI.

Duae hic tantummodo occurunt indicationes. 1. Spasmum scilicet et diathesin phlogisticam tollere. 2. Tonum systematis restaurare, et putredini obviam ire.

Medici

* Lining on the American Yellow Fever, Edinburgh Physical Essays.

Medici etiam accuratissimi, sub hujus morbi initium, in curatione instituenda, quo se vertant, nesciunt. Calor vehemens, inquieta praecordia, faciei rubor, lucis intollerantia, pulsus plenus, durus, et frequens, auctum sanguinis ad caput impetum indicant; et coma diliriumque paulo post opprimentia, idem manifeste confirmant. Ex natura tamen morbi cognita, ex symptomatibus, summam debilitatem, summamque putredinem, experimentibus, quae in secunda periodo fere semper oriuntur, cautissime sanguinem detrahendum apparet. Si aeger in flore sit aetatis, robustus et sanguine dives; necesse erit, ad primum febris impetum, pauxillum sanguinis detrahere. Si sanguis emissus et jam concretus crusta coriacea coopertus apparet, et, si symptomata inflammatoria non leviora fiunt, haud inutile erit, venae sectionem, maxima adhibita cautione, repetere.

Inter sanguinem mittendum, aegri brachium manu apprehendere oportet, et accurate punctum temporis observare, quo pulsus mollis et debilis evadit. Si enim ultra progrediatur medicus, nec quam citissime

sime fluxūm fistat; morbo laborantem jugularē, non curare, mérito dici potest. Quae cūm ita sint, melius fortasse erit; cucurbitulas cruentas aut hirudines temporibus admoveare, quibus vires non adeo debilitantur, et aegro magnum adfertur levamen.

Sanguine hac cautela emissō, ad primām indicationem sporrō absolvendam, profunt emetica, quamvis a multis, in hac febre, omnino repudiantur, qui ad suam opinionem confirmāndam, hoc genū medicamentorum inflammationē inducere, et omnia symptomata augere, contendunt. Frequentia autem vomitus, qui ex vasorum extremitum spasmo, vel ex sordibus in primis viis latentibus, vel, quod magis verisimile est, ex utraque re, pendere videtur, manifeste emetica exhibenda demonstrant. Et experientia, quae sola prácticos ducere debet, ea medicamenta, cum summo aegri emolumento, postquam symptomata inflammatoria sanguinis missione leviora redduntur, exhiberi posse, docet. Nulla igitur religione tenear, quo minus tartaro emetico, parvis dosibus, hoc in morbo, utar. Tali enim casu multo magis sic proderit, quam largiore

largiore dosi acceptum, quia, stomacho summa irritabilitate praedito, minima dosis ad vomitum ciendum sufficere, et sic alvum ducere, potest: At si alvus adstricta sit, medicamenta leviter laxantia administranda sunt; quae intestina exonerando, irritationem auferunt, et diathesin phlogisticae minuunt. Faecum retentio certe ex quadam constrictione intestinorum ductuum excernentium pendet, solitam fluidorum copiam non effundentium. Hinc faeces, parum madefactae, in alvo diu retinentur. Itaque, laxantibus clysmatibusque per cursum morbi administratis, non solum irritationem auferre et alvum ducere, sed etiam putredini obviam ire, possumus. Et, quum spasmum ex omnibus corporis partibus tollere magni sit momenti, hoc, alvum laxando, magnum numerum vasorum, in intestina hiantium, aperiendo, certissime perfici potest. Hinc injectiones aquae calidae frequentes multum ad symptomata levanda conducunt.

Balneum etiam ad vomitum compescendum, spasmumque tollendum, multum conferre posse, credibile est. In quod si, ob a-

liquam causam, totum corpus demitti non liceat, pediluvio oportet uti.

Eadem illa remedia insuper ad irritacionem cerebri, ex sanguifero vel nervoso genere orientem, imminuendam, maxime accommodantur, extremitates nervorum corporis superficie relaxando, et, sanguinem ex superioribus et internis ad externas et inferiores partes, derivando.

INDICATIO SECUNDA.

Tonum systematis restaurare, et putredini obviam ire.

Modo jam enarrato, symptomata inflammatoria et vomitus pertinax saepissime tolluntur, et stadium secundum plerumque nunc sequitur: Quod in universum, debili pulsu, summa debilitate, et symptomatis putredinis, constat.

Ut his occurramus, ad corticem Peruvianum fugiendum est; quod huic stadio putredinis praestantissimum est remedium.

Cum

Cum primum cortex Peruvianus in usum vocatus est, nonnulli prudentissimi vi-ri de hujus virtute multum detraxerunt, et exhiberi omnino vetuerunt. Quantum ve-ro omnibus fere aliis medicamentis, in morbis removendis, praecipue febribus, quas symptomata diathesis phlogisticae non co-mitantur, praestet, satis nunc, periculo facto, compertum est. Quod, quamvis ita est, ni-hilo tamen minus medici, etiam hujus seculi, de ejus in hac febre usu non penitus consentiunt.

“ Notandum tamen quam maxime, si post unciam corticis assumptam cesset febris quidem, verum aegri langueant, de ponde-ris gravantis sensu circa praecordia conque-rantur, urina colorem icteritum habeat, aut adnata oculorum flavescere incipiat, minime tutum esse, febris recidivam praecavere, si-mili corticis quantitate sumpta : Verum illico, solventissimis remediis exhibitis, opor-tet expectare febris redditum, per quam optime poterunt tolli illa mala, quorum signa post corticem exhibitum apparuerunt. Pe-sime

sime enim semper cessisse vidi, si in tali casu in corticis usu pergeretur *.”

“ We are told,” inquit Cleghorn, “ when there is an icteritious colour in the eyes, that the cortex should not be administered ; though, in my opinion, it is for the most part dangerous to delay it, after the first appearance of that symptom, which is often succeeded by a yellowness of the whole body, arising in this, as well as in other malignant fevers, from a total corruption, or gangrenous disposition of the mass of blood, and is too frequently the harbinger of death. Upon the whole, I am convinced, that the unhappy metastases, which some have observed to follow the use of the bark, are exceeding rare, and ought rather to be ascribed to other causes than this medicine. And I will venture to affirm, that more bad consequences ensue from giving it too late than too soon ; prostration of strength, sudden death, or the most obstinate chronic diseases, if the sick recover, being the usual effects of delay : Whereas,

the

* Van. Swiet, comm. in Aphor. 767.

the worst that commonly happens, from the too early use of it, is, that it does not at once restrain the paroxysms, like a charm, without any sensible evacuation, as it frequently does, when given after the fever has arrived naturally to its height, and begins to decline of its own accord *.” Omnes pene medici in insulis Indiae Occidentalis degentes, hanc praxin Doctoris Cleghorn optimo cum successu sequuntur. Et, quamvis multa argumenta inania, quae contra corticis administrationem diu praevaluerunt, medicorum peritissimorum omnium consensu, nunc contemptui habentur; tamen adhuc veteris praejudicij vestigia manent, quae nunc quoque obstant, quo minus libere satis exhibeatur. Cum febris manifestas habet remissiones, pauci corticem exhibere cunctantur. At, si febris continua evadit, omnis ratio tentatur regulares remissiones inducendi: Si hoc absolvi non potest, et vires aegri languent, alexipharmacæ, epispastica et cardiacæ, ad vires refocillandas prohibentur. Eoque tempore cortex Peruvianus periculosus esse existemaretur, reque vera

* Cleghorn's Diseases of Minorca, page 224.

vera ab omnibus fere medicis, Sydenhami aequalibus, caute prohibitus fuit. Quae ratio, in regionibus calidis, male fundata est, ut experientia compertum habemus, ubi cortex non solum tutissime adhibere potest, tam in remissionibus quam exacerbationibus, sed etiam cum febris manifesto continua est.

Omnis igitur contra corticem Peruvianum ablato praejudicio, observandum est, eum crebris et largis dosibus adhibitum esse, quibus aegri in summo periculo versati, quasi ex faucibus orci mirabiliter erepti sunt. Cui, radix serpentaria, quae antisepticis viribus maxime pollet, est adjicienda.

Aliquando tamen accidit, ut vomitus pertinaciter persistet, neoque corticis exhibitionem omnino impeditat. In tali casu, inordinatos ventriculi motus, frequenti acidorum et jalpii salini, in statu effervescentiae, usu, compescere necessarium erit. Quod si his remediiis vomitus minime auscultat, et pulsus debilis et mollis evadit, opio uti debemus, quo hoc symptoma lenire; et corticem Peruvianum, caeteraque remedia, adhibere possimus.

Huic

Huic etiam indicationi vinum respondet, quod astringens, austерum et gustui grātissimum est. Justa et modica quāntitate sumptum mentem exhilarat, imaginationem jucundiorē reddit, curas pellit, irritationem aufert, circulationem sanguinis excitāt, perspirationem movet, robur fibrarūque tonum adauget, urinam ciet, omnes secretiones promovet, et denique putredini obviam it.

Ex vino igitur, his virtutibus praedito, hujus febris cūratiō praeципue pēndet; quippe enim longa experientia quotidianoque usu constat, nihil, ad vires refocillandas, delirium, quod in ultiinis hujus febris stadiis plerumque accedit, amovendum, et putredini occurrentum, conferre magis, quam hocce gratissimum medicamentum.

Ut putredini fluidorum et totius systematis debilitati porro obviam eatur, sub secundi stadii initium, aqua frigida, vino vel limonum succo mixta, adhibenda est. Ad eundem quoque scopum aēr frigidus maxime conducit. Immo etiam experientia docuit, spongiās aquā frigida madidas, et toto corpori applicatas, putridis febribus profuisse,

prae-

praecipue illi epidemiae, quae anno 1737 Uratislaviae grassans, tria millia hominum e medio abstulit *.

Per totum morbi cursum, aegro in ampio conclavi cubandum, indusium stragulaque quotidie mutanda, et omnes excretiones ex cubiculo quam citissime removendae sunt.

Injectiones etiam aëris fixi magno commodo hic futuras esse, experimentis compertum habemus †. Aër enim fixus, ut ex antiseptica virtute, qua multum praeditus est, colligere licet, ad putredinem corrigendam aut tollendam efficax erit, aut saltem non nocebit.

Praeter haec, plurima restant remedia, quae, initio et morbi progressu, utilia reperiuntur, qualia vesicatoria et fructus acidi, tum acida fossilia ac chrystalli tartari, caeteaque, sunt, et, pro varia aegri conditione, usui esse possunt.

Hoc opere ad finem tandem potius perducto, quam omnibus absoluto numeris,

nae-

* Sauvagesii Nosophoria Methodica, tom. i. p. 335. de Tritaeophya.

† Priestley on fixed air.

naevarum, macularum, mendarumque, quæ in illo abundant, veniam candidos obsecro : Quae argumenti difficultati, ausuique deco-ro, lubenter, spero, dabitur.

Quin et, si quid non prorsus absurdum rejiciendique, si quid ferendi, si quid etiam boni, in superioribus paginis occurrit, ne id quidem totum mihi vindico. Sua ejus, et non spernenda, pars illustri Praeceptoris meo Culleno, et ibi etiam est, ubi ab ipso dissentire vel maxime videri possim ; quippe cuius pracepta, non solum ea sequentibus recta, sed quodammodo in novam viam secedentibus ex longinquo, lucem praebant. Eaque illius doctrina est, quae non solum ad ipsam intelligendam, sed novae condendae facultatem faciendam, pertineant. Ille non, ut priores quidam, suis acquiescere, sed undique opes quaerere, omnium fere solus, docuit. Qui, si studiosorum animos ad rectam disciplinae medicae normam composuit, si quaestiones ante alta caligine obrutas pandit, perplexas enodavit, obscuras illustravit, cogitationesque ubique magnas, et novas, ex divite quasi penuario, exprompsit ; quomodo non et nobis et se-

ris posteris praeclarus, laudandus, carus, nec
intra angustos ipsius patriae fines, sed inter
Americanos extremos et Indos, et ubicun-
que veri lux praefulserit, habebitur, et aeter-
na fama vivet?

F I N I S.



